

433

431

437

427

442

422

482

382

332

Ende

Anfang

418

de monte Syon ad fontem Siloe, et cum in textu **2 Reg. XI.**  
dicatur, quod mulier lavit se ex opposito domus regis in  
suo solario,

De origine, ex qua emanat fons Siloe sub monte Syon.

(160 A) A natatoria illa egressi aquaeductum rivi  
secuti sumus, et ad fontem Siloe, ubi de monte Syon manat,  
venimus. Porro per illam viam ascendendo sursum super  
rivum aquarum Siloe mirabamur de colore turpi et abominabili  
ipsius aquae. Sed postquam ad originem venimus, quae caussa  
turpis coloris fuerit, experti sumus. Nam quidam Sarracenus,  
cerdo, in ore voragini, ex qua aqua effluit, stabat et pelles  
sive cutes recenter de animalibus distractas intingebat et  
pedibus comprimebat, ex quo aquae reddebantur sordidae et  
cruorosae, et ideo sub cerdone nullus bibere poterat, nec faciem  
lavare. Cumque ad cerdonem venissemus, voraginem ingressi  
sumus in montem, quia altum et profundum hiatum habet,  
sed non latum, ex quo effluit de terrae penetralibus aqua, et  
ibi super cerdonem bibimus et oculos lavimus in memoriam  
miraculi in hac aqua facti in coeco nato, ut Joh. 9. Dicunt  
vulgares, quod quicunque oculos laverit ex fonte isto, quod  
dolorem oculorum non patietur amplius. Tantam autem fidem  
adhibeo huic dicto, sicut cum dicitur, quicumque balneatus  
in Jordane fuerit, post lotionem non senescit. Cum magna  
ergo compressione stetimus in terrae hiatu, in scissura montis,  
et erat clamor magnus peregrinorum; primi clamabant propter  
sequentium importunitatem, et ultimi propter praecedentium  
tarditatem, medii vero propter pressuram utrorumque clama-  
bant, et fuit multa impatientia ibi, non enim poteramus in  
hiatum aliter intrare, nisi distentis cruribus, et pede uno in  
una parte rivuli, et alio in altera locato transire poteramus [et]  
in aqua ascendere, quia omnes pretiosis calceamentis fuimus  
calceati, quae ad aquae tactum corrumpuntur; multi tamen  
in ipsum rivulum totaliter detrusi fuerunt. Expediti ergo de  
hiatu exivimus de ore speluncae, et exportavimus in scutellis  
et flaconibus nostris aquam sacram pro his, qui in hiatum  
ingredi non poterant; propter praedictas enim pressuras

